

vel negare velle de hiis, pro quibus tam procaciter iniuriaretur. Abbas vero diu eadem repetens verba et eadem a cesare accipiens responsa tandem obsecrare cepit. 'Si hoc', inquit, 'non mereor impetrare, ut sanctissimi patroni nostri corpus tibi absque dubio allatum minime digneris redonare, hanc saltem gratiam nobiscum facias, ut numquam fama publica innotescat, quia a loco nostro sit raptus et tibi allatus. Nam si publicatum^a fuerit, locus profecto noster destruetur. Unde tantae compatiens miseriae, locum noli nostrum prorsus destruere, sed ita letitiae tuae incrementa contempera, ut et nobis aliquam gaudendi spem relinquant'. Haec et hiis similia abbate ad regem flebiliter loquente, tandem imperator precibus multimodis atque querimoniis illius ad misericordiam motus talia fertur verba protulisse: 'Iam quidem non nego, michi delatum thesaurum preciosum, quem queritis, sed hoc nimirum, quoniam non reddo, sciatis, petitionem autem illam, quam pro silenda patroni vestri direptione protulistis, quantumcumque valeo, diebus vitae meae adimplebo cunctis'. Haec audiens abbas, licet non ad integrum, aliquatenus tamen impetrans, pro quibus regem interpellavit, quasi letus a facie eius abscessit et obtinuisse se simulans, pro quo veniebat, peris quibusdam cum honestate magna super equum compositis, tamquam in eis corpus patroni sui ablatum referret, rediebat. Postea vero, ne vulgo veritas patefieret, evacuatum sancti Dyonisii monumentum desuper contexit, omnimodo ita ut prius erat adornavit. Porro imperator, peragratis Galliae partibus, prout voluit, cum triumpho et gloria necnon cum muneribus maximis ad propria rediit secumque minus divulgata, ut promiserat, veneratione sancti Dyonisii ossa usque ad extrema vitae suae detinebat. Cum autem in Ratisponense urbe, dilectissima videlicet regni sui sede, positus infirmaretur, obtulit et eadem sancti Dyonisii ossa venerando sancto Emmeramo suamque coronam, pene omnia, que in libris ac ornamentis regalibus habere visus est, sicut et adhuc in eiusdem sancti Emmerami cenobio probari potest, in quo, ut pretermittam alios plures libros manu benedicta scriptos aureisque literis precapitulatos, unum illius plenarium detinetur, tale an^b difficile usquam inveniri possit equale. Sed et ipsius ciborium miro ac precioso auri gemmarumque opere constructum adhuc ibidem reservatur¹. Ad ultimum etiam idem imperator

a) *So Pez*; publicum cum c. b) cui *Pez*.

1) Cf. Arnoldus de S. Emmerammo I, c. 5, SS. IV, p. 551: 'In quo (palatio) erat ciborium quadratum, cuius auro tectum tabulatum, fastigium serto gemmarum redimitum. . . . Erant etiam in eo evangeliorum libri plenarii, auro et gemmis tecti, scripti picti, ac omnimodis ornati.